



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

77. An sit denunciandus mandans Confessario, vt in confessionem sollicitet
pœnitentem? Et alij quinque casus cursim circa solcitationem adducuntur,
sed iam omnes magis latè in suis specialibus ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Ex Edicto DD. Inquisitor. &c. Ref. LXXV. 409.

tur denunciari Sacerdotes, qui mulieres pœnitentes ad actus inhonestos provocant, seu alliciunt: qui autem provocat pœnitentem, ut mediet, absolute provocat ad actus inhonestos, illa enim mediatio actus inhonestus est, & ejusdem speciei cum crimine perpetrando. Item ratio tota prohibendi sollicitationem pœnitenti factam procedit in præfenti, cum venenum propinet ei Confessarius, cui debebat antidotum salutis propinare, & loco reconciliationis gravem peccati molem imponat, fontique limpidissimo lutum admisceat; ergo cum illa decreta sint instituta in favorem sacramenti Pœnitentiæ, non limitanda sunt, sed potius extendenda. Ita Castus, & ego satis quidem probabiliter. Vide etiam Bonacinum in *tr. var. disp. 6. punct. 3. n. 19.* & post Bullam Greg. de hoc non est dubitandum, ut observat Peyrinus in *privil. Minim. tom. 2. constitut. 4. Greg. XV. §. 1. n. 16.* Et ita hanc sententiam, me citato, docet Novarius in *summa Bullarum, tit. de solic. in confessione, num. 10.*

3. Non desinam tamen hic adnotare quod Antonius Soufa *opusc. de Confess. sollicit. in annot. ad Bullam Greg. XV. num. 7.* videtur negativam sententiam, nempe Confessarium sollicitantem pœnitentem ad lenocinium, non esse denunciandum, tanquam probabilem admittere, etiam in terminis Bullæ Greg. XV. quia affirmativam sententiam vocat tantum tutiorem, & probabiliorē; sed ego puto omnino negativam sententiam esse damnatam in prædicta Bulla, ubi Pontifex utitur his verbis: Ad inhonestam sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda; ubi illa verba, cum aliis, & quomodolibet, omne lenocinium, tam ex parte pœnitentis, quam ex parte Confessarii manifestè includunt, & ita hanc sententiam novissimè docet etiam Lezana in *summa quest. Regul. c. 19. n. 34.*

RESOL. LXXV.

An Confessarius, si in confessione petat à pœnitente domum suam, ut ibi adducat concubinam, sit denunciandus?

Et an Constitutio Greg. XV. intelligatur de actu quo Confessarius feminam suadet, ut sibi det pecuniam ad largiendum meretrici? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 45.

§. 1. Negativam sententiam docet Antonius Soufa in *opusc. de Confess. sollicit. tract. 1. cap. 14. n. 8.* ubi sic asserit: Constitutio non intelligitur de actu quo Confessarius feminam suadet ut sibi det pecuniam ad largiendum meretrici, quia licet hujusmodi actus inhonestatem aliquam contineat, illam per se primo objecto non continet; idemque dicendum est si Confessarius suadet feminam ut in domo ipsiusmet ad ipsius Confessarii notam concubinam pateat accessus. Itaque.

2. Sed in terminis Bullæ Greg. XV. hæc opinio mihi non placet, nam ibi Pontifex hæc verba apponit: Ad inhonestam sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, ubi illa verba, cum aliis, & quomodolibet, videntur casum de quo loquimur includere.

RESOL. LXXVI.

An mandans Confessario, ut sollicitet pro se pœnitentem, sit denunciandus?

Et ex doctrina hujus questionis infertur, quod non incurrit excommunicationem latam contra aliquid facientem, si quis mandavit facere; ideo si excommunicatio feratur in eum, qui occidit, vel furatur, non ligat mandantem furari, & occidere. Ex p. 1. tr. 4. Ref. 22.

Tom. V.

§. 1. Affirmativè responderi Riccius in *praxi, p. 3. sup. hoc in Resol. 65. n. 2.* & in terminis Bullæ Greg. XV. Relic.

Homobonus de *exam. Eccl. p. 2. tract. 11. c. 12. q. 26. resol. 4.* nam, ut habetur in *cap. quæ per alium, de regul. iur. in 6.* qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, in *leg. manumissiones, ff. de just. & iur. & leg. si amicis, ff. de auctor. iudic. facere, qui jubet aliquid facere.* Sed contrariam sententiam prorsus amplectendam esse censeo quia, ut supra satis probatum est, verba legis pœnalis sunt formaliter, & propriè accipienda, & non sunt extendenda. Et idè non incurrit in excommunicationem latam contra aliquid facientem, si quis mandavit facere, ut tradunt communiter DD. in materia censuratum, Tabiena verb. *excomm. §. casu 49. §. 5. Navarrus in man. cap. 27. n. 1. Suarez de cens. disp. 4. sect. 3. n. 5. Angel. verb. excomm. 8. n. 1.* & alij. Vnde, si excommunicatio feratur in eum, qui occidit, vel furatur, non ligat mandantem furari, & occidere, ut notavit Reginaldus in *praxi, tom. 1. lib. 9. cap. 1. n. 214.* Adde, quod, quando lex vult punire non solum facientem, sed mandantem id explicat. Et ita in *cap. mulieres, de sent. excomm.* extenditur ad mandantem excommunicatio, quæ in *c. si quis suadente Diabolo*, erat tantum lata contra percutientem Clericum.

2. Restat modo respondere ad argumenta Riccij. Dico igitur cum Avila de *conf. p. 2. cap. 5. disputat. 3. dub. 2. in fin.* quod per alios facimus, per nos facimus, quantum ad culpam, non quantum ad penam; & non realiter, sed fictione juris, ut loquitur Bonacina de *legib. disputat. 3. quest. 7. punct. 4. num. 12.* & Megala in *3. part. lib. 4. cap. 2. quest. 1. num. 12.* Et alia jura, quæ asserunt, quod videtur facere, qui aliquid jubet facere, loquuntur metaphorice: nam, ut optimè observat Bartolus in *leg. sed si unus, §. 1. ff. de injuriis*, is, qui per alium facit, non verè, sed fictè facit. Cum igitur verba Bullæ sint directa contra Confessarios sollicitantes, non sunt extendenda ad mandantes Confessarios sollicitare.

RESOL. LXXVII.

An sit denunciandus mandans Confessario, ut in confessione sollicitet pœnitentem?

Et alij quinque casus circa sollicitationem adducuntur, sed jam omnes magis late in suis specialibus Resolutionibus in hoc tractatu appositi sunt.

Etiamsque queritur, an sit denunciandus, qui tactibus, nutibus, vel signis feminam provocat; dum illa alteri constituitur?

Et quid, si Confessarius sollicitet pœnitentem ad alia peccata non inhonestam, ut ad furtum, homicidium, &c.

Et infertur, quod mandans, aut consulens non incurrit excommunicationem latam contra facientes. Ex p. 10. tr. 14. & Misc. 4. Ref. 44. alias 42.

§. 1. Affirmativam sententiam nominatim contra me firmiter tenet Carena de *Officio S. Inquisitionis, part. 2. tit. 6. §. 1. per totum*, quem novissimè sequitur Pater Ioseph Ianuarius, de *Cas. reser. cas. 55. n. 15.* Verum ego non recedo à sententia, quam docui, & quam me citato docet Trullench in *Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 18. n. 48.* & novissimè me citato Pater Leandrus de *Sacram. tom. 1. tract. 5. r. disput. 13. quest. 36.* & me citato Inquisitor Escobar à Corro, de *Confess. sollicit. part. 1. quest. 2. num. 36.* ubi sic ait: Limita Quarto; in illo, qui mandat Confessario, quod sollicitet Pœnitentem in confessione Sacramentali; ut secum carnaliter misceatur: Tum quia, ut pluries dixi, Constitutiones omnes loquentes de sollicitatione ad Confessarios tantum diriguntur; non ad alios; nec mandantes quoad penas comprehendunt.

M m cum

Sup. hoc in Ref. 16.

Sup. hoc in Ref. 5. & ver. not. seq.

Sup. hoc in Ref. seq. §. 1. ad med. & superius in tr. 1. Ref. 75. & si placet lege §. & Ref. ejus primæ not.

Sup. hoc in Ref. præterita.

Sup hoc in
in Res. 84. &
in alio §. ejus
primæ not.

S. I. **D**ebius in hac questione remanet Lopez, & absolute negativam sententiam docuit Borgia, Fagund, & Portel & de hac re consulendum esse Sedem Apostolicam desideravit Paramus. Sed ut ego asserui in *1. par. tract. 4. refol. 12.* affirmativam sententiam docebat communiter Doctores, verum qui negativam habebat pro se viros doctos, nec in contrarium aderat determinatio clara Pontificis, nec ego tunc putabam, censui esse probabilem, quod modo non censum, quia invenio ante Constitutionem Gregorij psum *v. die 6. Februarii anno 1619.* decrevisse expressum *v. die 6. Februarii* annis prius inclaus esse in Confessariis solicitantes pueros inclaus esse in Bullis, & per consequens denunciandos, & ita restant Thom. Baptista Scotia in *Bulla Pontificis psum. 77. lib. 10. rem. Baptista Scotia in Bulla Pontificis psum. 77. lib. 10. rem. 197.* & idem decreverat die *29. Novembris 1611.*

An Confessarius, qui sollicitavit adolescentem in confessione, sit denunciandus ?
Et docetur, quod lex penalis non est extendenda, etiam si militet in alio casu eadem ratio, v.g. excommunicantur omnes, qui cogunt mulieres ad ingrediendum Monasterium; ergo, si cogunt nomine mulierum, non includuntur viri, qui coguntur Religionem ingredi, &c. Ex p. I. tract. 4. Ref. 12.